ALMÆ ACADEMIÆ HASSO-GISSENÆ,

RECTOR

TOTUSQUE ORDINIS PROFESSORII SENATUS,

Omnibus & ſingulis Civibus Academicis, aliisque hæcce lecturis,

omnigenam proſperitatem & ſalutem toto corde precantur.

DVo cumprimis in Academiâ bene conſtitutâ, inq; flore exoptato conſervandâ, neceſſaria ſunt, I. Diſciplina arctis vinculis conſtricta. Quando diſciplina incipit eſſe laxior, & cujuslibet arbitratui liberiori, quin & petulantiori frena ſolutiora remittuntur, tum omnia ſurſum deorſum in illâ moventur, cœlum quaſi terrâ miſcetur, cyclopicâ quâdam ἀναρχίᾳ cuncta confunduntur, inq; barbariem nefandam omnia ita conjiciuntur, ut non tantùm Studioſi probi à ſuis ſtudiis avertantur, juniores & temporis & ſumtuum ſuorum per aliorum maleferiatorum & ignavorum fucorum Diabolicam exagitationem, jacturam facere, aliorumq; ſervitiis abominandis ſeſe, ipſi ingenui & liberi addicere cogantur, Accolæ & cives alii oppidani inquietentur, quin & ipſi Profeſſores ab ejuſmodi turbatorum tumultu immunes & tuti eſſe non poſſint; Sed etiam ipſa Academia apud exteros in famam turpem adeò devocetur, ut parentes abhorreſcant eò ſuos ſtudiorum causâ filios mittere. Et quod omnium maximum eſt, Maledictionis divinæ fulmen propter ejuſmodi inordinatum & confuſum ſtatum, tali Academiæ tanto impetu immittitur, ut omnia in illâ peſſum eant, atq; in eâ non niſi iræ divinæ certa documenta toti orbi conſpicienda præbeantur. Sicut ergò in quolibet Regimine, bono ordine nihil eſt ſuavius, nihil magis neceſſarium, adeò ut Simonis illius; de quo 1. Macc. 14. v. 9. regimen etiam eo nomine commendetur, quòd bonum ordinem in Rep. Judaicâ conſervare enixè laborârit: Ita ſanè in Regimine Academico ut bonus Ordo ſtrictiorq; Diſciplina cuſtodiatur & retineatur, ſumma neceſſitas efflagitat. Quâ de causâ etiam nos, illosqui in Academiâ Haſſo-Giſſenâ confuſionum & turbarum Autores eſſe maluerunt, omnis generis ſeveriori diſciplinâ pœnâq; ita cohercuimus, ut Studioſis reliquis nunc tutis eſſe, ſuisq; ſtudiis tranquillè & fructuosè invigilare liceat. Quin & impoſterum omnem operam adhibebimus, quò Athenæo Giſſenſi ab ejuſmodi carcinomatis & peſtibus liberato, omnia in eâ tranquillitatis, honeſtatis & boni ordinis curſu ſucceſſuq; feliciſſimè ferantur, & parentes, ſi qui nobis noſtræq; informationi & rectioni liberos ſuos commendaverint, metu ſeductionis, corruptionis & turbulentæ inſultationis ſint ſoluti. Quam ſollicitudinem, imò & re ita ferente, ſeveritatem de nobis omnes ſibi certò polliceantur. II. Neceſſarium eſt, ut in Academiâ labor & exercitium Lectionum, Diſputationum & Collegiorum tam publicè quàm privatim, indefeſſo ſtudio ferveat, tam ex parte Docentium, quàm ex Diſcentium parte. Non enim ignaviâ, ſed ſudore eruditio & inſtillatur & conquiritur. Quibus exercitiis Academicis ſicubi, prout decet, ſolida pietas & pia precatio acceſſerit, tum non labor in Domino noſter inanis erit, dicente Apoſtolo, 1. Cor. 15. v. ult. Cùm ergò labores noſtros, in vernali lectionum Academicarum Catalogo promiſſos, per ſemeſtris æſtivi decurſum huc uſque eâ, quâ par eſt, fidelitate & ſedulitate exantlaverimus, legendo, diſputando, collegia habendo & nulla non exercitia Academica tractando, ut ſtudiorum cultores non habeant, quod jure deſiderare queant: Nunc novum lectionum futurarum & quidem hyemalium Catalogum publico conſpectui exponimus, omnes & ſingulos Studioſos invitantes & feriò adhortantes, ut hâcce noſtrâ operâ avidè utantur, ſuosq; ſimul labores, oleum & operam olentes, ſuperaddant. Chriſtus Ieſus ſedens ad dextram Patris velit Academiam Haſſo-Giſſenam ab omni detrimento potenter præſervare, & omni felicitate è contrario porrò illam fœcundare, Laboribus noſtris ex altis benedicere, eosq; eò provehere, quò in Nominis divini gloriam, Reip. literariæ incrementum & Studioſorum emolumentum & commodum uberrimum tendant, Amen! P. P. ſub Sigillo Academico Majori, d. 4. Sept. Anno 1653.

IN FACULTATE THEOLOGICA.

Juſtus Fewrbornius, SS. Theologiæ D. & Profeſſor, 1. Abſolutis hâc præteritâ æſtate, tribus prioribus capitibus 1. Epiſtolæ S. Apoſtoli Pauli ad Corinthios, publicis Lectionibus pertractabit cap. 4. & ſeqq. prioris Epiſtolæ ad Corinthios. 2. Collegium Theologicum privatum, in quo Epiſtolam ad Galatas, Diſputationibus typis impreſſis, explanabit & vindicabit, aperiet. Et 3. Diſquiſitiones Theologicas *de divinâ peccatorum noſtrorum remiſſione*, publicè continuabit.

Petrus Haberkorn/ S. Th. D. Prof. P. & p. t. Rector, lectiones publicas Anti-Calvinianas continuabit, atque per Dei gratiam, Epitomen errorum Calvinianorum, illos ſolidè refutando, veram autem ſententiam ſuccinctè demonſtrando, ad finem perducet. Collegium etiam privatum Diſputatorium, ſive Anti-Calviniſticum ex illis, quæ hactenus dictata fuerunt, & in progreſſu porrò dictabuntur, ſive Anti-Becanianum, ſive utrumque pro Auditorum placito habebit. Inſtituet ſimul Collegium concionatorium, ubi ſemper poſt habitam concionem, caſus etiam practici nervosè & breviter proponentur & decidentur. Diſputationes ſuas publicas itidem tam contra Calvinianos, quàm contra Jeſuitas, quin & contra Judæos ex V. T. porrò tractabit.

M. Johannes Nicolaus Misleruſ, S. Theol. & Hebr. Ling. Prof. ord. & Stipend. Eph. In Locorum Theologicorum Synoptica ventilatione ut & in Libro Prophetico perget: Diſputat. publicas è dicto Joh. 5. abſolvet. Collegium inſtituet Diſputatorium, pro deſiderio Auditorum; Hebraicum itidem, in quo S. lingua facili methodo tradetur.

David Chriſtiani, SS. Th. D. & Prof. Extraord publicè in Loco de *SS. Scriptura* perget. *Diſputationes Anti Ieſuiticas* publicas continuabit, *Collegiaq;* privata, *Lectoria & Diſputatoria*, inſtituet.

IN FACULTATE JURIDICA.

Juſtus Sinolt dictus Schütz/ *U. J. D. Cancellarius & Profeſſor primarius*, finito Legationis munere, quo jam in Comitiis Ratisbonenſibus fungitur, in præcipuis Imperii Conſtitutionibus interpretandis perget.

GREGORIUS TÜLSNERUS, *U. J. D. Conſiliarius Haſſo-Darmſt. & Codicis Profeſſor Ordinarius, p. t. Decanus*, futuro ſemeſtri hyemali, in prælectionibus publicis, explicationem [illegible] Codicis Juſtinianei Legum, continuabit.

Jacobus LeBleu, U. J. D. Profeſſor Ordinarius, & Academiæ Syndicus in prælectionibus Juridicis publicis Deo juvante, materiam de contractibus explicabit. In Collegiis Juris privatis, deſiderio Dominorum Studioſorum ſtudia ſua accomodabit.

Martinus Müllerus, U. J. D. & Prof. ordin. publicè aget de [illegible] dictis; privatim Collegia ſua abſolvet, & exercitium [illegible] numdiſputatorium inſtituet, in aliis etiam prout Dominis Studioſis commodum viſum fuerit, ſuam offert operam.

Johannes Helvicus Sinold cogn. Schütz/ *Jurium D. & Profeſſor Extraordinarius* publicè, quæ de Proceſſu Judiciario tractanda reſtant, abſolvet. Quæ deinceps traditurus, ſignificabit. Privatim præcepta Juris Publici tradet & exponet.

IN FACULTATE MEDICA.

Johan Daniel. Horſtius, Medicinæ D. & Profeſſor & Archiater, ubi per negotia Aulica licuerit, Collegium inſtituet, in quo Chemiam, quâ poterit brevitate pertractabit [illegible] q; modum [illegible], Spiritus Olea & Magiſteria ſelectiſſima parandi.

Johannes Tackius, Phil. & Med. D. Phyſ. & Medic. Profeſſor ordinarius, & Medicus Haſſo-Darmſtatinus, In Medicina quidem pertractatis hactenus morborum cauſis ſhabitisque de verâ Medicinâ diſcurſibus ad particularia inpoſterum ſe convertet, veramque curandi morborum rationem tum ex Chymia tum ex Hippocraticis dictatis oſtendet. In Phyſicis verò perget, atque tum ætatem tum conditionem aquarum, quibus nihil utilius in hoc univerſo, magisque neceſſarium, venerabitur. In cæteris Collegia quoque & Exercitia publica & privata inſtituet.

Georgius Balthaſar Metzgerus, Medicinæ D. & Profeſſor ordin. eâ quâ cæpit methodo & viâ vulnerum curandorum modum oſtendere perget, atque pro Auditorum captu & voluntate in Botanicis quoque & Anatomicis ſuam præſtabit operam. Collegia quoque & Exercitia privata, prout neceſſitas expoſtulaverit, inſtituet

IN FACULTATE PHILOSOPHICA.

M. Caſpar Ebelius, Logicæ & Metaphyſicæ Profeſſor ordinarius & Pædagogiarcha, abſoluto ſuo tractatu de uſu principiorum Philoſophicorum, doctrinam Syllogiſticam publicè aggredietur, & ſimul edidet Metaphyſicum Collegium publicum, nec minùs privatim Logicum [illegible], vel explicando, vel diſputando, continuabit.

Joh. Conradus Dietericus, Græcæ Linguæ & Hiſtoriarum Profeſſor, Thucydidem explicabit.

Jacobus LeBleu, U. J. D. & Profeſſor, in politicis publicè explicabit formas Rerumpublicarum.

David Chriſtiani, SS. Th. D. Mathem. Prof. Ord. & Fac. Philoſ. Decanus, publicè hoc ſemeſtri brumali *Aſtronomiam* prælegeget, praxinque & uſum *Globi Proportionalis & Inſtrumentorum noſtrorum Aſtronomicorum* oſtendet. *Privatim* Collegia *Arithmetica, Geometrica, Aſtronomica, Geographica, Aſtrologica & Optica*, ad votum & captum Auditorum, inſtituet.

Martinus Müllerus, U. J. D. & Moralium Profeſſor ordinarius, publicè [illegible] exponet materias, & Collegia privata pro deſiderio Studioſæ juventutis aperiet.

Joh. Helvicus Sinold cogn. Schütz/ *D. & Eloquentiæ Prof. Ordin.* publicè locos Rhetoricos pertractabit.

M. Johannes Sheiblerus, Hiſtoriarum Sacrarum & Eccleſiaſticarum Prof. P. Extraordinarius præteritâ æſtate Hiſtoriæ partem generalem in ſuis prælectionibus publicis abſolvit, & Diſputationes aliquas in ſuo opere incepto edidit. Nunc verò Hiſtoriam de Chriſto, eâ quâ incepit methodo, continuabit. Et Collegia privata ad placitum Dnn. Studioſorum inſtituet. Diſputationes etiam habebit porrò, ut nihil Hiſtoriarum cultores ſacri jure deſiderare poſſint.

GIESSÆ, *Typis* JOSEPHI DIETERICI HAMPELII, Academiæ Typographi, Anno clↄ Iↄ cLIII.